UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sylva Cogitationum Sacrarum Pro Cathedra Seu Conceptus Prædicabiles

Ex Præstantissimis Authoribus collecti ; Et In tres Classes divisi

Complectens Dies Festos Per Annum

Höger, Franz

Ingolstadij, 1726

VD18 90197097

Dies Rogation.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53072

Visual Library

DIES ROGATION.

Panis triplex. THESIS I. *Commoda mihi tres panes.* Luc. 11. v. 5. Triplex eſt Panis Salutis. I. Panis *Angelorum.* II. Panis *Filiorum.* III. Panis *Amicorum.* Primus eſt Euchariſtia, de quo dictum eſt, Panem Angelorum manducabit homo: Secundus eſt Verbum Doctrinæ, de quo dictum eſt, non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus: Tertius eſt Exemplum vitæ. Propter hunc triplicem panem dictum eſt ter Petro: *Paſce oves meas*; ac ſi diceret ei Dominus; *Paſce Euchariſtiâ, Paſce doctrinâ, Paſce bonâ vitâ. Petr. Bleſſenſ. ſerm. 44.*

Oratio non exaudita, cur? THESIS II. *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* Act. 12. v. 5. Oratio multorum ſæpe non exauditur, cur? I. Quia mala poſtulant; nam qui malum poſtulant, orationis decorem devaſtant,

Deum vituperant, ſua peccata augent. II. Quia indifferentia conditionatè non poſtulant, vel non moderatè, vel non ordinatè. III. Quia bona debitè, & rectè non poſtulant; nam abſolutè non conditionatè petenda Divinæ voluntatis adimpletio, Regni cœleſtis acquiſitio, Dei poſſeſſio. *Vivien. verb. orat.*

THESIS III. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Luc. 18. v. 1. I. Sine oratione homo in manifeſto periculo verſatur ſuæ damnationis; quia Oratio abſolutè neceſſaria eſt ad acquirendas gratias Salutis, & donum Perſeverantiæ non obtinetur, niſi per Orationem. II. Per Orationem etiam maximi peccatores miſericordiam poſſunt obtinere: propterea Deus ſæpe Juſtos & Prophetas inhibuit, ne pro peccatoribus orarent, ut non ignoſcere ipſis deberet. *Bretteville. Dom. Quaſimod.* *Neceſſitas Orationis.*

THESIS IV. *Petite, & accipietis.* Joan. 16. v. 24. Conditiones bonæ Orationis ſunt: I. Status Gratiæ, II. Fiducia in Deum. III. Humi- *Conditiones Orationis bonæ.*

militas. IV. Attentio. V. Perſeverantia. *Faber. hîc. Conc. 1.*

Oratio communis. THESIS V. *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum. Act. 12. v. 5.* Oratio in communi, ſeu à Communitate facta, eſt I. Deo gratior. II. Chriſtianæ Profeſſioni accommodatior. III. Ad impetrandum efficacior. *Miechovienſ. in Litan. Diſcurſu 63. tit. Nobis.*

Oratio exaudita. THESIS VI. *Petite, & dabitur vobis.* Matth. 7. v. 7. I. Deus *Differendo* exauditionem precum noſtrarum nos periclitatur, ſeu probat. II. Deus *Negando* precibus id, quod Saluti noſtræ adverſatur, nos exaudit. III. Deus *Plus dando*, quàm in Oratione ſperavimus, Orationi noſtræ benedicit. *Diction. Apoſt.*

THESIS VII. *Confide.* Matth. 9. v. 2. I. Maxima *Fiducia* in Oratione noſtra conſiſtit in eo, quòd Filius Dei promiſerit nobiſcum orare. II. Orationis noſtræ *Eloquentia* tunc eſt, quando nihil aliud in ea petimus, quàm quod Filius Dei ipſe pro nobis petit. *Id.*

THESIS VIII. *Congregamini, & venite, & accedite ſimul.* Iſai. 45. v. 20. Supplicationes, ſeu Proceſſiones I. In memoriam nobis revocant Exitum Iſraël ab Ægypto, ſeu liberationem Populi Dei. II. Nobis repræſentant Eccleſiam ut Caſtrorum aciem ordinatam. III. Nos admonent, ut Chriſto obviam procedamus. *id.* *Proceſſio ad quid?*

THESIS IX. *Congregate, & venite, & accedite ſimul.* Iſai. 45. v. 20. Evacuatur meritum Proceſſionis. I. Quando quis tantùm ex Vanitate ſuique oſtenſione ei intereſt. II. Quando ſolùm Recreationis, vel deambulationis gratiâ eam comitatur. III. Quando animo indevoto, & diſſipato quis ei aſſiſtit. *ibid.*

IN FESTO DE CORDE JESU.

THESIS I. *Cor autem eorum longè eſt à me.* Matth. 15. v. 8. Scili- *Cordis JESU qualitates.*